



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

5. Alia peccata lepram merentia, & remedia eadem sanantia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

periores. Habet diuina illa sapientia suas iustissimas causas, cur aliquando etiam ineptiorem sinat alius promoueri, & digniorem premi. Fortasse vult & illum sic deiici, & hunc extolli. Sicut enim valde honorificum est, si queratur, *Cur iste non regit? Cur iste non est militia Dux? Cur iste non sedet in curia?* ita profecto tacite carpit, quisquis interrogat: *Cur regit iste? Istene est militia Dux?* aut cum Catullo dicit:

*Quid est, Catulle, quid moraris emori?*

Catull. ep. 53.

*Sella in curuli Struma Nonius sedet:*

*Per consulatum peierat Vatinius.*

*Quid est, Catulle, quid moraris emori?*

Ita vulgus loqui solet, vulgum tu sine suo more loqui; tu tibi sororem Moysis ante oculos pone, & Dei regimen ne inuade; qui si mulieris vnicam murmurationem lepra percussit, eamque quasi infamem, & non tantum fratris aspectu, sed etiam populi consortio indignam a castris separauit, quid illis faciet, qui non sola arrogantia sunt huic mulieri similes, sed etiam carpunt, quidquid a superioribus fieri cernunt; quod sanum est, sanare presumentes, cum ipsi vlcibus scateant. Quibus nisi Moysis soror in exemplum sufficit, legant apud Raderum historiam de Stylita Edesseno, qui quod fratrem suum germanum, aurum spernentem, simplicem iudicasset contempissetque, eod quod ipse idem aurum prudenter, ut sibi videbatur in viros Religiosos & pauperes erogasset; ab Angelo redargutus, ac a fratre suo germano in omnem vitam separatus, iussusque quadraginta nouem annos stare in columna, post tam longam & duram poenitentiam, tandem veniam meruit, anno quinquagesimo, siue iubileo. Tunc enim apparens ei Angelus, peccatum remissum, eumque Dei gratia restitutum nunciauit. Si eadem vel Mariae poena, vel Stylitae poenitentia omnibus murmuratoribus nunc imponeretur, neque leproforum domus, neque columnae sufficientes possent edificari. Sed qui, ut poenitentiam agant, nihil patiuntur, aut non stant in columna, ante Dei tribunal stabunt.

Ma'th. Rader. de simplic. SS. c. 7.

Id multo magis verum esset, si lepra affiendi forent, qui vel per homicidia cum Ioab, vel per Simonias cum Giezi, vel

Eeeee 3 per



per sacrilegia, cum rege Ozia lepra contaminari merentur. Quot cædes fiunt innocentium, quæ non candida lepra, sed purpureo sanguine notantur! Quot vestes, quot calices sacri venduntur & emuntur! quot aræ, quot templa sacrilegè violantur! Hi omnes si impetigine, aut alopecia cooperti in certum locum forent separandi à sanis, totæ forent extruendæ pro eis ciuitates, sed sat pœnæ eos manet, si à societate ciuium supernorum separantur. Ad quam, vt è numero monstrorum exempti admittantur, Christus animarum medicus, in leprosis à se sanatis, viam monstrauit, quando decem leprosis sibi occurrentibus & dicentibus: *IE SV miserere nostri*, respondit: *Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factû est, dñi irent, mundati sunt.* Nimirum sicut leprosi in lege veteri erant quasi irregulares, eò quòd non tantùm naturaliter, sed etiam legaliter essent immundi; adeoq; nò tantùm ab hominum cõuictu, verùm à templo quoque & sacris arcerentur: ita peccatores omnes in lege noua sunt immundi, ac proin indigni cõfortio Sanctorum, à quorum cælesti domicilio, & beato illo Agni templo arcentur. Quemadmodum igitur illam leproso- rum irregularitatem non medicus, sed sacerdos poterat tollere; cui propterea se sistere debebant, vt expiarentur, ac sacris, iuxta ritum, quem Deus præscripsit, restituerentur: ita se debent & nunc sacerdoti sistere, & accurata omnis labis suæ patefactione, per confessionem, & sacramentalem confessionem, sicut Christus instituit, ostendere, vt ab illo absoluantur, diuinæq; gratiæ, & in ius hæreditatis cælestis restituantur. Atque hæc de monstruosa Iudæorum lepra.

Luc. 17. 14.  
Matth. 8. 4.  
Luc. 5. 14.

Leuit. c. 14.

#### VI.

Quod si quis aliud è diuinis historijs monstrum sibi cupit ostendi, quod in peccati supplicium sit datum, potest id sanè, & quidem luculentum, cui ad memoriam perpetuandam statua est posita. Nam si vel Poëtæ in monstris numerant periurum illum Battum, quem Mercurius vertit

Ouid. lib. 2.  
Metam.

*In durum silicem, qui nunc quoque dicitur Index.*

*Inq; nihil merito verus est infamia saxo.*

Gen. 19. 26.

Cur in monstris non habeatur vxor Lot, qua respiciens post se, uersa est in statuam salis? Vatablus vertit in statuam perpetuam, quæ